

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllii Ciceronis|| Epistolae Familiares.||

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1565

Eidem.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-724041](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-724041)

E I D E M.

A B P E rogatus a te, quid sentirem
 de ijs annotatiunculis, ut appellant,
 quas hominum eruditorum falso, ut
 opinor, nomine in harum epistola-
 rum margine adscriptas uidemus; respondi de-
 mum id, quod res erat, leues omnino, minimeq.
 dignas, quae legerentur, mihi uideri. tum tu,
 cur igitur ipse, his, quae tibi non probantur, de-
 letis, eas, quae plus habeant ponderis, quarumq.
 nos utilitas ad legendum alliciat, aliquando non
 reponis? debes tu quidem hoc non iam nostra caus-
 sa solum, sed filioli quoque tui Aldi; qui, qua aeta-
 te nunc est, iam harum epistolarum libros te au-
 ctore in manibus coeperit habere; si modo stas in
 eo quod te saepe confirmantem audiui, hoc
 primum Ciceronis libro puerilem aetatem ad elo-
 quentiam esse informandam. Victus sum, Mat-
 thaeae, tuo studio, iniecta praesertim de filio men-
 tione; quem iisdem, quibus nos, itineribus ire uo-
 lumus. itaque, dum huic rei inscriuere, dies ali-
 quot maiorum rerum occupationibus surripui; no-
 tavi cum alia paucis uerbis in margine, quae fusi-
 us fortasse tractata in uulgatis commentarijs re-
 perientur; in quo placuit studiosorum commo-
 breuitate consulere; tum, ut arbitror, non nul-
 la, quae partim aliqua in legendo utilitas, partim
 nouitas ipsa commendabit. quod si ita erit; opti-
 marum

marum litterarum studiosis gratulabor; tibi, qui
me, diu recusantem, ad hoc, quidquid operis fuit,
impulisti, quasi de litteris, ac dicam etiam de me
ipso, bene merito, gratias habebo. publicum e-
nim beneficium semper cū meo beneficio coniun-
ctum esse duxi. Venetijs, M. D. LVIII.
mense Iunio.

Handwritten text in a Gothic script, likely a medieval manuscript. The text is arranged in approximately 25 horizontal lines. The ink is dark and the paper shows signs of age, including some staining and wear at the edges. The script is dense and characteristic of the late Middle Ages. The text is oriented vertically on the page, which is a common format for certain types of medieval documents or books.



HISTORIA DE PTOLEMAEO

rege, ad intelligentiam primi libri.

R **E** **X** *Aegypti Ptolemaeus, cognom-
mento Auletes, quia tibijs canere,
praeter dignitatem regiam, solitus es-
set, pater Ptolemaei, qui Magnum
Pompeium occidit, & Cleopatrae, notissimae fe-
minae; eiectus ab Aegyptijs propter flagitia, ma-
ximeq. ob acerbissimam intolerabilium tributo-
rum exactionem, Romam uenit consulatum ge-
rentibus P. Lentulo, & Q. Metello: queritur
iniuriam: pro sua, pro maiorum societate, ueter-
rimoque, ac perpetuo erga populum R. studio,
suppliciter orat, ut restituatur: impetrat non ma-
gno negotio, uel Pompeij gratia, regis caussam
adiuantis, eiq. non solum amicitia, Mithridati
co bello contracta, sed etiam hospitio coniuncti;
uel, quod eius regis, quem senatus, ac populus
Romanus biennio ante socium, amicumq. appel-
lasset, iniurias ulcisci, non modo iustum, sed ex-
emplo etiam utile, speciosumq. uidebatur. Ac-
cedebant merita. nam, ut a Varrone scriptum Pli-
nius memorat, Pompeio circa Iudaeam bellum ge-
renti, octo equitum millia Ptolemaeus, nullo reip.
sumptu, praesidio miserat. His de caussis fit S.C.
referente consule P. Lentulo, ut sortiantur consu-
les, uter eum in regnum reducat. prior exiit fors
Lentuli, simul cum administratione Ciliciae. nam*
Hi-